

12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**PRÆSERVATIONE**  
**MORBORUM**  
**MILITARIUM,**

---

*Duam,*  
AUSPICE DEO PROPITIO,

*Ex Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

**DN. D. MICHAEL ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-

SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Praecepore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

ANNO MDCCXLV. D. MART.

*Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subjicit*

AUCTOR ET RESPONDENS

**DANIEL DREISOVIUS,**

STOLPENSIS POMERANUS.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ALIENORIS MARCHIONIS  
TERRARUM VISCERUM  
MUNITIONUM  
MURORUM

LIBERUS / MARCHIO / ALIENORI

A M O N S I E U R  
M O N S I E U R  
**M I C H E L   L A U R E N T**  
D E P I R C H E N

Major General au Regiment du Garde de  
Corps Grenadiers de Sa Majesté le Roi de Po-  
logne & Electeur de Saxe, &c.

A M O N S I E U R  
M O N S I E U R  
**C A S P A R   F R A N C O I S**  
D E P I R C H E N

Colonel d' un Regiment de Dragons au Ser-  
vice de Sa Majesté le Roi de Pologne & Ele-  
teur de Saxe, &c.

A M O N S I E U R  
MONSIEUR  
**NICLAS DUBISLAS**  
**DE PIRCHEN**

Colonel d' un Regiment d' Infanterie de Sa  
Majesté le Roi de Pologne & Electeur  
de Saxe, &c.

## MESSIEURS

Ayant toujours soupiré après les occasions de VOUS temoigner mes très humbles respects, j'ai enfin embrassé celle de mettre VOS illustres Noms à la tête de ces feuilles & de VOUS les présenter avec tout le respect possible. Il est vrai, que la hardiesse de mon entreprise, & la crainte de m' attirer peut-être VOTRE indignation m' ont d'abord detourné & retenu de ce dessein; Mais

la connoissance de l'humanité & de la générosité, qui sont si naturelles à VOTRE illustre Maison, m'ont enfin porté à VOUS les offrir très humblement. Rien n'est plus digne d'un homme penetré de reconnaissance, que de faire connoître à ses Fauteurs, qu'il n'a pas oublié les bienfaits, dont ils ont daigné le combler, & qu'il leur en a une éternelle obligation. A présent que je vais donner au public une preuve de mes veilles & de mes études Academiques, j'ose VOUS les offrir très humblement, VOUS suppliant en même tems d'agréer, que je fasse voir à tout l'Univers l'infinité d'obligations que je VOUS ai des graces infinies, dont VOUS avez daigné combler toute ma famille & moi en particulier dès ma naissance jusqu'à présent. Les bienfaits obligent ceux, qui les reçoivent, & leur sont agréables, mais ceux, qui en sont comblés dans leurs grands besoins, & qui sont soulagez dans leurs misères, y sont bien plus sensibles. Enfin il n'y a rien, qui me puisse faire oublier toutes VOS graces, & la mort seule pourra effacer de mon coeur une reconnaissance, qui y est

est si profondement imprimée. Je n'entreprendrai pas MESSIEURS, de faire ici VOS éloges, quoique j'aye une très ample occasion de m'étendre sur VOTRE rare merite, puisque tout ce que j'en pourrois dire, seroit fort au dessous de ce que le monde en pense ; outreque je craindrois d'offenser VOTRE modestie, si je tachois de louer VOTRE merite & VOS bonnes qualitez, estimées & admirées de tous ceux, qui ont eu l'honneur de VOUS connoître depuis que VOUS servez si fidelement & si utilement VOS Augustes Maitres les grands Roix de Pologne. Je me contenterai de VOUS rendre des trèshumbles actions de graces de l'infinité de bontez, dont VOUS avez si genereusement daigné combler mes parens, & moi, & de souhaiter très ardemment que le Seigneur VOUS tienne toujours en sa sainte garde, qu'il continüe à benir VOTRE sagesse & VOTRE valeur pour le service de VOTRE Auguste Maitre, & qu'il VOUS fasse jouir de mille & mille prosperitez avec toute VOTRE illustre Maison. Au reste j'ose VOUS demander trèshumblement

ment la continuation de VOTRE haute protection uniquement capable de me rendre heureux, & je VOUS prie d'être bien persuadé, que je serai jusqu'à la fin de mes jours avec un profond respect & toute la vénération possible

MESSIEURS

V O T R E

à Hall  
le Mars  
1745.

très humble, très obéissant, & très respectueux  
Serviceur

DANIEL DREISOVIUS.



## PROOEMIUM.



Uantum salutis reipublicæ felicitatisque momentum in illius quiete & securitate situm sit, procul dubio cuivis tam est apertum, ut hic prolixa ad hujus asserti veritatem stabilendam minime argumentorum opus habeam deductione: et enim observationibus, experientia quotidie suppeditatis iisque inter se comparatis, abunde comprobatur. Quid autem præter summi Numinis protectionem & justitiam illibatam prudentiamque, a principibus ac magistratu fasces imperii tenentibus sincere exercitata, bonum illud præstantissimum certius largitur, quam militum strenuorum & selectorum optimèque in disciplina militari eruditorum sufficiens numerus? Hocce enim instructa publica societas, solo terrore viciniis injecto, hostium plerumque abarcet insultus: & quamvis adversariorum audacia tam sit effrena, ut inimica quædam moliantur

A cona-

conamina: robur tamen illud, ad conflictus semper  
 paratum, impune nunquam offendunt, scopulis po-  
 tius quasi immotis infeliciter allidentes, percelli ple-  
 rumque conspicuntur. Quæ cum ita sint, inco-  
 las subditosque cuiusvis imperii nihil sane impedi-  
 re nihilque detinere debet, quo minus exercitum,  
 qui pro salute sua comparatur aliturque, magni æ-  
 stiment & omnia, in viribus suis posita, quæ ad e-  
 um sustentandum ac conservandum requiruntur, li-  
 benter conferant. Horum L. b. consideratio meum  
 quoque animum, hoc tempore cogitationes volutan-  
 tem, quodnam eligendum esset argumentum speci-  
 minis loco edendum, eo deduxit, ut non inconsul-  
 tum alienumque esse existimem, si jam in conscrip-  
 tione dissertationis, ad salutem militum tendentis, vi-  
 res meas perexiguas exercere decernerem. Pnæ-  
 cipue autem thema elegi pertraetandum DE PRAÆ-  
 SERVATIONE MORBORUM MILITARIUM,  
 quod satius meliusque esse duxi, omne studium iis  
 avertendis maxime afflictionibus esse impenden-  
 dum, quæ per status militaris circumstantias cura-  
 tu difficultissimæ, imo invincibilis sæpius existunt. Pro-  
 deant itaque pagellæ hæ publicoque se fistant ex-  
 amiini; quæ vero simul Lectori benevolo, si forte  
 in elaboratione minus concinna, aut non solida pro-  
 lixaque satis, ingenii quandam immaturitatem percipi-  
 pere videatur, considerandum omnino relinquunt,  
 primitias has esse conscriptoris sui, hinc mitius ab  
 eo de se expetunt expectantque judicium. Prius-  
 quam vero ipsum hoc opus adgrediar, summum  
     Numen

Numen supplex appreco, ut hisce conatibus meis  
viribusque exiguis clementia sua adesse omniaque  
mea conamina, ut & hoc, in nominis sui gloriam di-  
rigere velit.



**P**ræservationem itaque a militaribus morbis per tractaturo incumbere mihi existimo, terminorum primum explicationem quandam thematis hujus præmittere. Per militares autem eos intelligo morbos, qui militibus præsertim familiares esse observantur, quarumque præcipua cauſa in vita eorum peculiari genere & ejus circumstantiis maxime est fundata: luculenter hinc apparet, morbos hic eos occupationes nostræ fore objectum, qui singuli quidem alius etiam ordinis hominibus evenire possunt; positis enim in vivendi quodam genere iisdem aliquibus causis, idem quoque effectus in vita militari observandus producetur; ast visum tamen est, afflictiones, frequentia sua militibus præ ceteris mortalium infestas merito militarium nomine posse insigniri.

§. II.

Praeservare a morbo nihil aliud est, quam illius causas antecedentes vel plane tollere, vel saltim eas in producendo effectu, nimirum proxima & continente morbi causa morboque ipso impedire. Jam huncce conceptum ad morbos militum applicanti & ad eorum officia attenti facillime patescit, præservationem militum ab eorum morbis non levissimum semper involvere negotium, sed plerumque multis esse implicitam difficultatibus. Et

**A 2** enim,

enim, qui ad nutum summi imperant<sup>i</sup>s vitæ etiam extre-  
mum periculum mortemque ipsam pro tuenda salute pu-  
blica subire juramento obstricti sunt, illis eo minus fan-  
tati exquisitus semper licet consulere, et si optima præ-  
scribantur medicorum consilia: attamen præstandum,  
quantum potest, & cum nec semper, nec ubique circum-  
stantiae in vita militari ita sint comparatæ, ut nulla plane  
præservatio locum inveriat, neque occupatio hæc no-  
stra, ad eam spectantia sistens, supervacanea & inutilis ha-  
benda erit. Proposito autem huic, ut satis pro viribus  
faciamus, innuente præservationis jam suppeditata ex-  
plicatione, quænam sint morborum militarium causæ,  
quoque se modo exerant in producendis effectibus suis,  
perscrutandum venir, ut his cognitis ostendi dein quear,  
qua ratione, quibusque remediis singula hinc imminen-  
tia mala possint averti.

## §. III.

Ordinem, quem in retractatione secuturi sumus,  
ad seriem rerum non-naturalium, in scholis medicorum  
ita dictarum, accommodare liceat: etenim hæ res tantum  
non omnes fovent causas, ad quas in præservatione re-  
spicere nos oportet.

## §. IV.

Primum igitur de aere, quatenus causas morborum  
suppeditat, est differendum. Aër autem sanitati noxi-  
us evadit, si peccar, vel in excessu caloris, vel frigoris,  
præfertim, si ita comparatus subito alterum unus exci-  
piat; vel impuritate sua, vel concurrentibus & compli-  
catis hærum quibusdam qualitatum simul lædere obser-  
tur.

## §. V.

Calorem excedentem secundum receptivitatem subjectorum, quæ adficit, metiri convenit. Sic enim idem illius gradus, in se spectati, meridionalium regionum incolis tolerabilis est, qui septentrionalibus gentibus fervidus & exitiosus existere conspicitur. Simili, sed respectu locorum inversa ratione, de frigore excedente quoque est judicandum. Diversis hic in subjectis effectus soli innititur consuetudinis vi, quæ in corporibus eorum, sensu fere eodem perpetuo diuque percepto, obtinuit ac confirmata est. Ad hanc itaque in conservatione militum valerudinis quoque respiciendum esse, omnino in proposito positum videtur.

Calor nimius, ambiens viventium corpora, non tantum hæc ipsa eorumque humores immediate calefacit, sed etiam hoc præstat, dum sanguis, in perpetuo suo motu circulatorio constitutus attritioneque continuante calidior redditus, jam ab attracto in pulmones aëre, quod frigidior efficere solet, condensari satis & particulis suis igneis abundantibus orbari sufficenter nequit: accedit, quod hic minus calidi aëris usus in tota etiam corporis peripheria externa cessare debeat: & quo magis tunc simul corporis voluntarius motus exercetur atque intenditur, eo quoque major, aucta sic sanguinis circulatione, acceditur fervor, mirum itaque in modum turgescere incipiunt humores, & vel febribus continentibus causa sufficiens suppeditatur, vel orgasmus ita expandit sanguinem vehentia vasa, ut pori eorum hiare nimium, aut latera illorum rumpi omnino cogantur, hinc haemorrhagia

giæ variis in corporis locis evenire, vel, si sanguis effluens incarceretur in parte quadam, inflammations & ulceræ inde ortum ducere possunt.

## §. VII.

Considerandum non minus est, quod æstuante humorum circulo, pars sanguinis subtilior in serum, excrementium resolvi soleat: hoc ad minimos simul meatus, motus violentia protrusum & per poros in peripheria expressum, largissimum constituit sudoris profluvium. Si itaque humido suo delibatissimo corpus privatur, crassiore remanente, præterea motus vasorum compressiorius, per præcedentem eorum validiorem expansionem debilitatus languidusque existit, humores illi residui crassiores per canales minimos, ob hanc suam qualitatem vitiatam transire facile non possunt, nec a læso partium tono proprii per transitus suos sufficienter queunt; hinc non rite succedunt se- & excretiones, subsistunt humores, stagnant, obstruunturque vasa, & ita, nisi mature avertantur, congestiorum morborum variorum & infarctuum aliorumque affectuum proventus præsto erit. Non dicam, quod lassitudine & virium nimia prostratione milites officio suo rite obeundo inepti plane evadant.

## §. VIII.

Mala vero & damna omnino eo majora ex calore excedente in corpore humano propullulant, si, sudore jam largiter profluente, tempestas fervida subito cum frigidori permutetur, aut etiam motus corporis antea exercitus, repente abrumptatur & quiete excipiatur, si que loco frigidiori, vestibus abjectis, aut frigidæ plane aquæ se committat aliquis. Sic enim vaporis ac humoris, salino sulphureis

phureis particulis abunde imprægnati jamque excernendi, subito præcluditur exitus, hinc emphysemata leucophlegmatiæ & alii rheumatico-arthritici adfectus ortum trahunt: & quidem horum illi eo majus sovent periculum, aut incommodum, quo nobiliores, aut sensibiliiores sunt partes, ad quas infesta illa conjicitur materia: ita etiam, si ad primas propellitur tunc vias, & ibi cum cibis variis e.g. dulcibus, tum forte comeditis, & bile con-currente fermentans, in acrimonia sua exaltratur, diarrheas ac dysenterias progignit & ad atrociora quoque mala symbolum suum poteſt conferre.

## §. IX.

Non prætermittendum quoque est momentum ali-quod hoc præcipue pertinens: Nimirum, si, humoribus in æstu ac fervore summo constitutis, ab exhalatione ſufficientis corporis humiditatis, intolerabilis adfligit ſitis, haufataque ad eam extinguedam larga aquæ frigidæ copia coagulat humores calidissimos, conſtringitque vasa minora eximie jam turgentia, ſicque ſtati in his ſanguinis & lymphæ liber progreſſus intercipitur, hinc inflammationes ventriculi, fauicium & intestinorum reliqua-rumque adjacentium partium procreari crebro affolent: quæ omnino graviflma mala ægros ſatis cito jugulare va-lent.

## §. X.

Convertimus nos jam ad consilia aliqua proponen-da, quibus præſervatio a recenſitis hactenus adfectibus in militibus etiam, ſi modo exquife ſemper obſervari atque impleri poſſent, obtinebitur. Primum quidem ducibus omnino notandum venit, ne ſubditos ſibi mili-tes

res in radiorum solarium fervore ac aestu exercitiis sine  
 intervallo per multarum horarum spatium obeundis mo-  
 lestant, nec tum excubias, nisi sub rectis, diutius peragen-  
 das ab ipsis postulent, neque hoc tempore itinera, aut  
 alios varios corporis motus, nisi summa urgente necessi-  
 tate, subeundos illis imponant, sed potius hos noctu, vel  
 horis matutinis, absolvendos curent. Militibus & infimis  
 quoque probe inculcandum, ne variis potulentis spiri-  
 tuosis ad sitim forte extinguedam se repleant, quippe  
 quæ orgasmum mirum in modum exacerbare solent.  
 Sudorem, tam per calorem, quam motum etiam, forte  
 accendentem prolectatum largiterque profluentem, nulla  
 re frigida, nec aere nec aqua subito supprimant, motum  
 moderate exerceant potius, jamque antea exercitum tam  
 diu itidem moderatissime continuent, donec sudatio illa  
 paulatim in transpirationem insensibilem commutetur.  
 Si vero accidat, ut serena atque calidissima tempestas,  
 subito a frigidiori præsertim humida excipiatur, ne trans-  
 spiratio tam repente turbetur atque supprimatur, neces-  
 se est, ut vestimentis, quæ adsunt, ita tegant atque ob-  
 velent corpora sua, ut mutatio haec tantum effectum in  
 se exercere non possit; hoc etiam fine, quod jam in præ-  
 cedentibus commendavi, & hic conveniet, motum  
 corporis moderatum, quantum per vires & circumstan-  
 tias fieri potest, aut suscipere, aut continuare perque  
 gradus imminuere, donec interno humorum circulo pla-  
 cato, quieti ruto se tradere possint. Utile hic erit, si quo-  
 que potus quidam, actu, non potentia calidus adsunatur  
 lenisque diaphoresis conserveretur, aut si transpiratio jam  
 suppressa est, iterum provocetur. Sic enim catarrhos-  
 rum

rum & rheumaticorum ceterorumque adfectuum, alias hic evenientium, & præservatio & maxima ex parte curatio  
absolvi poterit.

## §. XI.

A potu frigido in notabili corporis incalescentia tamdiu abstinendum est, donec æstus aliquo modo in humoribus mitigatus fuerit, & tunc prius frustulum panis comediac dein, interrupto tamen haustu sitis potest extingui. Sed adstruendum quoque est, quomodo gravissima illa damna averti possint, quæ iis evenire solent, qui sitis nimis impatientes, aut ignorantia subsequentis periculi seducti ab ingurgitatione potus frigi sub æstu humorum non abstinuerunt. Si enim tum spastici dolores oriuntur, colica intestina adfligere incipit & cardialgia cum conatibus vomendi nauseabundis adeat, indicia, si non jam præsentis, semper tamen sunt imminentis inflammatio- nis. Putant tunc imperiti medicorum empiricorum non nulli, ductum naturæ sequi, ad vomitum promoven- dum emetica porrígere: sed tantum abest, ut ita malum corrigant, ut porius spasticos jam adfligentes motus in tantum augeant, ut celerrimum inflammationis augmentum, gangrænam cum sphacelo produci, tandemque mortem, scenam totam claudentem insequi necesse sit. Si vero in viciniis ut hepate, liene ceterisque partibus strictura tantum hæserit, hæc ita ibidem incongrua illa medicatione obfirmatur, ut obstructions ibi & infarctus cum insequentibus adfectibus, ut ictero, hydrope, phthi- si, melancholia producantur. Si itaque in primis viis primi illi motus post haustum potum frigidum stric- turaque in hypochondriis sentiuntur, angue pejus omnia

B

magis

magis commoventia, ut emetica & purgantia præsertim fortiora evitanda sunt: potius discutientia & resolventia, quo etiam acetum aliaque acida vegetabilia, absorbentibus ad saturationem adfusa, pertinent, ut & lenissima demulcentia adhibenda veniunt. Conferri hic meretur MINDERERI *medicina militaris*, ubi mirum in modum hoc casu extollit atque commendat folia bellidis minoris recentia, cum aceto comedenda, malumque sic in herba, quod ajunt, jugulari, fidem facit. In quo remedio, cum efficacia illa potissimum resolventi aceti virtuti adscribenda videatur, hoc præcipue acrius adsumendum, minime vero plane omissendum venit.

## §. XII.

Quemadmodum autem calor nimis causa morborum existit: ita etiam frigus excedens multas corpori noxias inferre valet. Non raro observarur, quod, adulata hyeme, frigus siccum, præsertim flantibus simul ventis boreali, aut australi, nocturno tempore, vel ante ortum etiam solis, tanta acerbitate atque sævitia corpora illi exposita invadat & periculosa sua efficacia penetret, ut vita plane ea privet. Eo frequentius vero tunc accidit, ut in extremitatibus corporis, ut manibus & pedibus, naso pinnisque aurium & ceteris prominentibus partibus ita coagulentur humores, ut glaciei ad instar congelen- tur, unde rigida facta facile contactu rudiori franguntur deciduntque. Si vero ira comparatae subito circumden- tur calore, ignæ particulæ tanta vehementia penetrant earum superficiem, ut illis latera vasculorum nimis distenta, interius tamen solido congelato corpori adhærentia siveque extensionem sequi non valentia, rumpan- tur

tur necesse sit. Ex tam multiplici laesione nihil aliud, quam putredo atque sphacelus ipse enascitur & pars ut emortua decedit. Si in minori gradu coagulatio humores occupaverit, etiam hinc mitiores, sat molesti tamen adfectus oriuntur, qui perniciem nomine veniunt, quibus non raro phlyctenae jungi solent. Hic vasa partim destruncta, partim tono suo privata, congestiones ad haec loca causantur & hinc pustulæ sub separata cuticula sese attollunt, dolores pruriens cum tumore rubro adfigunt, & nisi resolvatur humorum extravasatorum stasis congesioque blande discutatur, ulcera mali moris & sanatu difficillima hisce in locis suam figent sedem.

## §. XIII.

Non minus etiam ex frigore graviori, diutius & continuo corpus circumdante oritur damnum, si humorum, inter membranas articulorum atque musculosarum partium contentorum, lymphatica coagulatur portio, quæ dein stagnans non finit a tergo ad fluentem transire & per meatus suos ad vasa majora revehentes redire, restagnat igitur & hec accumulataque distendit continentis membranas sensibiles, unde non potest non oriri dolor expansivus admodum molestus, qui nomine rheumatismi & arthritidis medicis venire solet. Et non desunt etiam exempla de veritate hujus eventus satis testantia: Inter alios hac de re HENRICUS MUNDIUS in operibus suis medico-physicis adfirmat, milites quamplurimos, quibus tempore hyemali in Scotia bellum esset gerendum, frigore ita adfectos, ut veluti contracti ægre postea incedere valerent, quidam non omnino nec arma tractare potuerint. Neque minus CLOPTON HAVERSIUSS de

B 2

Off:

*Offibus Capite IV.* conferri potest, ubi veritatis hujus confirmationem invenimus.

## §. XIV.

Conceptu nec difficile erit, intensum etiam frigus interioribus corporis partibus labem adfricare posse. Constrictis enim vasculis in ejus peripheriam desinentibus, humores majori, quam solita quantitate propelluntur ad interiora inde primum quidem a vasis sanguiferis valde distentis in capite, praesertim in subjectis plethoricis, comprimuntur nervorum principia, ut in ejusmodi statu constituti, praesertim quiescentes tanta ad somnum inclinatione cum omni fere doloris sensuumque abolitione rapiantur, ut illi resistere vix, vel, nisi valde movere se incipiant, plane non possint: si autem diu hoc duraverit, in soporem tandem lethalem incidere assolent. Periculum hoc eo gravius certo est, si potu spirituoso sanguini prius turgescientiam intulerint.

## §. XV.

Idem, quod in capite, etiam in inferioribus partibus ad interiora sit, scilicet ad viscera humores frigore proprimuntur ibique coacervantur, hinc in subtilioribus vasis a nimia extensione ruptiones & extravasationes ortum trahunt. Ceterius autem imminet malum, si humores antea jam spissitudine peccantes, per frigus adhuc magis condensati, aut ad haec ab adsumto valde spirituoso potu aliquo modo coagulati, in vascula minima protruduntur. Ita enim in hisce subtilissimis meatibus, transfutum liquido spissiori non concedentibus, stagnare incipiunt & sic febres inflammatoriae aliisque ex impedito lymphae progressu propullulantes morbi scenam suam ludendi

di ansam inveniunt. Prodeunt autem ita præsertim pleuritis & peripneumonia, qui adfectus in vira militari sat periculosi habendi, ubi curatio congrua variis circumstantiis difficilis redditur.

## §. XVI.

Neque minus in vasis majoribus, compressa lymphatica humorum portione, ad interiora & sanguinis massam propriam, præcipue largiter adveniente hausti spiritus vini, aut frumenti coagulante principio, oriri facile queunt concrementa quadam polyposa, quæ dein difficulter, aut plane non possunt resolvi, potius indies mole sua augeri sicque progressum sanguinis inhibere cum lethali tandem eventu inopinato observantur.

## §. XVII.

Humido frigida aëris constitutio, quia nunquam tanta intensione, ut quidem sicca, corpora mortalia adfligit, non tam recensitorum a frigore provenientium adfectuum, quam potius morborum lymphatico serorum, fœcunda existit mater. A frigore enim, quod jam ostendimus, & condensantur aliquo modo humores propellunturque ad interiora, ab humiditate autem tonus fibrarum in cute & pororum orificiis relaxatur atque his collabentibus & flaccidis redditis, in peripheria humorum progressus impeditur & transpiratio imminuit, aut plane sufflaminatur. Serum itaque excrementium & impurum, in corpore retentum, atque rerinenda humida nimis contaminans, affectibus permultis, ut catarrhis febrisque catarrhalibus, rheumaticis doloribus, pleuriti etiam, ut & cachexia, leucophlegmatiae aliisque originem præbet. Præcipue hæc eveniunt mala, si humoris

res ante refrigerationem ad peripheriam, adsumptis calidis propulsis, aut aëre externo calido afflitti fuere. Diu autem continua tempestas humida epidemicis variis febris producendis inservire solet.

## §. XVIII.

Jam, quomodo haec mala ex frigore oriunda avertenda sint, brevibus indicare, nostrum est. Præprimis itaque omni ratione studendum erit, ut aër frigidus nimis, a corporibus militum abarceatur, hoc aliquo modo obtinebitur, 1) si excubias agentibus tecta quedam, Speculæ, Germ. Schilderhäuser vocatae, procurantur, & si militibus hoc munus tenentibus per brevia intervalla alii substituuntur, ne ibi ab injuria aëris labes aliqua ipsis inferri possit. 2) Vestimenta sufficientia ad omnes corporis partes, exigente necessitate tegendas atque fovendas, porrígenda erunt. Haec autem non ex materia magis solidiori sint confecta, neque ita comparata, ut arctissime corporis partibus adjaceant easque comprimant. 3) Motu etiam corporis nociva aëris frigi violentia non parum impediri poterit, siquidem sub illo, solidis partibus attritis atque compressis humorum circulus, caloris interni origo, promovetur, augeturque. Hinc convenit militibus in excubiis positis, si semper licet, continuo ambulare inque itineribus pedes & manus concutere ac fricare, si vero equis infidendo iter faciendum est, ab illis potius descendere pedesque & totum corpus etiam eundo movere præstat, quam quiescendo magis periculum læsionis aliquod incurre.

## §. XIX.

Si vero nihilo minus infortunium acciderit, ut membra,

bra, frigore vehementer affecta, stupida rigidaque redditia sint, nihil magis cavendum est, quam ad fornacem calidum, aut alium calorem, multum ab illo in corpore perfrigerato residuo differentem ea fovere. Potius per gradus reficienda veniunt, ita nive prius fricantur utiliter læsa partes, aut immittantur aquæ gelidæ, quæ gradatim post intervalla tepidiori commutari potest, dein linteis fricentur & tandem sub molliori tegumento foræ aut vario modo motæ, pristino restituantur statui. Ad averendas tum congesiones, partis debilitatus tonus roborantibus reficiatur & stans quorundam humorum discutientibus & resolventibus removeatur.

## §. XX.

Spiritus ardentes, ut sunt spiritus vini, frumenti & alii, nomine aquarum vitæ venientes ceteraque valde inebriantia potulenta, intenso præsertim frigore maxime sunt evitanda: & licet subiectis satis illis adsuetis parca quantitate adsumenda concedi possent, tamen, quia moderamen in omnibus difficillimum esse solet, consultius viderur, usum horum ob abusum & inde evenientia graviora mala plane inhibere, donec frigoris intensio remiserit, præsertim si milites jam in negotio mobiliori non sint constituti. Cum tamen nullo modo conferat, jejunum aëri frigido se exponere negotiaquo sua subire, frustulum panis comesum, cerevisia superbira, aut, si circumstantiae permittunt, decoctum, vel infusum aliquod ex pane saltim & aqua paratum adsumendumque convenientissimum erit.

## §. XXI.

Omni etiam industria eo respiciendum est, ne, ante-  
quam

quam frigus præsertim humidum subeatur, in loco nimis calido, ita corpus foveatur, ut sudor inde plane erumpat, ne dein ex subitanea aëris mutatione, transpiratio in rotum susflaminetur malaque jam recensita inde eveniant. Si vero his non observaris, poris subito in peripheria constrictis, humores tamen ad illam compulsi leucophlegmatiam, ephysemata, aut alios catarrhosos affectus produixerint, ad avertenda graviora hinc propullulantia mala itidemque præsentia tollenda succurratur infuso, aut decocto aliquo calide adsumto, ubi essentia quædam dia-phoretica simul utiliter cum spiritu vini & cum hoc præsertim frigidioris temperamenti subjectis propinabitur, adjuncto tamen regimine diapnoen excitante.

## §. XXII.

Aër etiam, quod ex physicis patet observationibus, variæ generis effluvia recipit indeque impuritatem acquirit, quæ in corpore humano multis in morbis procreandis efficacem se exerit. De humiditate nimia & nociva jam dicta satis videntur, ubi de frigore humido disserui. Ad cetera autem & proprie sic habenda aëris inquinamenta referendæ sunt exhalationes ex aquis stagnantibus & corruptis, in quas nempe in quiete constitutas, tam ex terra, quam etiam ex vegetabilibus inundatis, putrescentibus tetræ variæ generis particulæ dimituntur, motuque putrefactorio exaltatae & subtiliores redditæ in aerem tandem cum aqueis particulis junctæ diffundunt. Neque minus exhalationes animalis prosapiaæ, præcipue autumnali tempore precedenteque æstate, siccо calore urente, ex insectorum variorum copiola colluvie in aërem abripiuntur, quod itidem circa aquas paludosas

dosas solis radiis ferventibus expositas contingit maxime: impuritas hæc ventis dein translata in vegetabilia & fructus decidit. Si ad hæc animalia occisa, quod in strage militum armorum confictu facta accidit, aliaque ex quacunque causa mortua inhumata jacent, putreficiunt & prætidæ particulæ aëri traduntur.

## §. XXIII.

Omnia recensita inquinamenta, cum corpus vel per inspirationem, vel per esculentia illis infecta adsumta, vel poros penetrando corporis externos subeunt & cum impuritate forte in corpore jam contenta sese conjungunt, totam sua terra, aeri, caustica & fere venenosa indole inficiunt humorum massam, unde tunc epidemii varii & contagiosi oriuntur adfectus, quo referuntur febres catarrhalis malignæ, exanthematicæ & petechiales, dysenteriæ, si que varii in omnibus diætæ regulis commissa vitia accedant, morbi castrenses, aut plane pestilentiales sese excludere solent, quorum dein peculiare miasma etiam aërem mirum in modum inficit multorumque hominum strage se satis cito dispergit. Horum autem dirorum malorum causis cum milites non raro, tam in castris viventes, quam castellorum præsidium tenentes expositi sint, non mirum etiam est, ipsis illis morbis eos saepissime infestari: Hinc interdum plures militum iisdem, quam hostium insultibus misere opprimi observantur.

## §. XXIV.

Quæ cum ita sint, quantum fieri potest, obviam morbis his eundum est. Utinam vero plus ad eos avertendos, quam per bellum vitæque militaris rationes licet, præstari posset. Castrorum enim loca castellaque aëre insalubri-

C infe-

infecta relinquere inque saniora se conferre optimum es-  
set remedium, sed cum saepius ex locorum situ, licet in-  
salubri multum emolumenti fortunæque bellicæ depen-  
deat, consilium hoc medici frustra plerumque proponi-  
tur. Alia itaque sunt commendanda, quibus quidem  
non tam cito & facile malum evitatur, aut inhibitetur, at-  
tamen in tantum ei resistitur saltim, ne damnum ex insa-  
lubritate loci oriundum utilitates ex ejus situ speratas su-  
peret. Praeprimis omnia impuriora, tam partes ani-  
mantium, quam vegetabilium, putridos spargentes odo-  
res longius removeantur, aut terre infodiantur, ipse au-  
tem aër jam infectus ignibus crêbro circa locum obtentum  
confectis, acidis exhalatis, aut fumo sulphuris, ligni, folio-  
rum baccarumque juniperi & aliorum suffimigiorum ac-  
censorum in tentoriis præsertim & castellis purior reddi  
poterit. Evitandum omnia ea diligenter veniunt, quæ  
corpus debilitare & ad recipiendum fovendumque facili-  
us miasma ex aëre communicatum aptius reddunt. Hinc  
omnes excretiones præcipueque perspirationis placide  
conservandæ & promovendæ quidem sunt, attamen o-  
mnis in illis excessus, ut & in labore & vigiliis evitandus  
atque aër frigidus, præsertim humidus simul existens a  
corpo abarcendus est.

## §. XXV.

Si jam subiecta quedam contagioso morbo infecta  
sunt, statim separantur a sanis, ne hi simili inficiantur  
impuro miasmate. Convenit tunc etiam, ut adhuc sani  
præservationis causâ, quæ salivæ proventum producunt,  
ut radicem quandam alexipharmacam, frustulum myr-  
rhæ in ore teneant & masticent, aut, qui adsueti sunt,  
taba-

tabaci fumum, moderate tamen, fugant, hac vero cum cautione adhibenda, ne salivam hisce prolectam deglunt, sed crebro semper exspuant. Acida, præcipue mane jejuno stomacho frustulum panis aceto imbutumingerere non contemnenda sunt. Maxime autem hic a violenter operantibus medicamentis abstinentum erit, quippe quæ nec avertunt securè, nec tollunt hæc mala, sed mortis in corpore, aut exacerbant, aut excitant nimis, hinc materia contagiosa subtilior ejusque venenosa vis efficior evadit.

## §. XXVI.

Jam ex ciborum & potuum inconvenienti usu eorumque qualitate noxia militibus sæpiissime evenientes percurrenti breviter sunt adfectus tumque præservatio illis adjicienda venit. Sitis famesque diu adfligentes vires quidem corporis, quod notissimum est, satis destruunt, hincque permultis morbis ansam præbère possunt, sed quomodo inopia illa famem fitimque producens evitari possit, non est medici consilium, nec itaque a nobis hic expectandum. Fama autem diutius adficit, si ipsis cibi iterum præbentur, si que tum magna voracitate ingeuntur, multum inde enascitur incommodi, præsertim si cibi durioris fuere qualitatis. Tum enim nec humores, nec vires sufficientes in primis viis ad digestionem necessariæ adsunt, hinc cruditates remanent, quæ febribus causam præbtere solent. Aut nimia ingestorum quantitas non digesta, nec a motu peristaltico debilitato propulsa alvum adstrictam colicamque producit. Convenit itaque primum liquidioribus ac mollioribus parce adsumptis vires tonumque partium reficere, priusquam consistentiores

C 2

cibi

cibi & quidem ad appetitus satieratatem usque adsumantur.

§. XXVII.

Carnes putrescentes, aut ex animalibus, morbo quodam in humoribus laborantibus mactatisque, desumtæ, cum humanæ naturæ indolem foveant adversam varia-  
que in cœconomia vitali turbas & mortem ipsam inferre possint, testantibus id multis auctorum celeberrimorum obseruationibus, probe eo respiciendum erit, ne militib-  
us carnes ita comparatae porriganter comedendæ.

§. XXVIII.

Neque minus abarcendi sunt milites a largo usu fru-  
etum sic dictorum horæorum, præsertim quæ séra æ-  
stas primumque autumni tempus proferre solet, qui-  
ppe qui ad diarrhoeas & dysenterias producendas, concur-  
rentibus aliis passim jam adductis causis, permultum con-  
ferre solent.

§. XXIX.

Hoc etiam loco de scorbuto inter morbos milita-  
res non raro eveniente mentio est facienda. Licet enim  
illius non minima causa in aëre humido-frigido, poros  
corporum constringente & excretionem periphericam  
sufflaminante, de quo supra jam dictum est, delitescat,  
tamen originis ejus præcipuum momentum in victu incon-  
venienti querendum erit. Adfligit autem affectus hic-  
ce tum præcipue, cum cibis crudioribus, farinaceis, le-  
guminosis, carnis salitis & fumo induratis, piscibus  
similibusque sine variatione & intervallo utendum est,  
præsertim si jam otio non interrupro corporis motu o-  
mnino vacante, quod in castris hibernis contingit, frui  
licet

licet, aut febris morbusque alias præterito tempore corpora adfixerit, viresque valde consumferit. Hujus malitiam præservatio, quam curatio omnium optime præstabit usū largiori recentium herbarum specificarum antiscorbuticarum, quæ sunt e. g. herbæ beccabungæ, nasturtii aquatrici & hortensis, præc. cochleariae, fructus meridionalium regionum acidiusculi, ut poma citri Aurantiorum & cetera. Ex his succus expressus per se, aut cum jusculis vel sero lactis adhibitus, aut herbæ in forma acetarii comedæ accedente sufficiente corporis motu operæ præ ceteris pretium facient.

## §. XXX.

Ad affectus ex potulentorum usū militibus eveniri solitos referendi sunt, qui corporibus admodum calentibus valideque sudantibus ex ingestio frigido potu oriuntur. Sed de his jam supra pro scopo nostro sufficienter & quidem §. IX. & XI. dictum videtur. Ita etiam de spiritus vini abusi ex eoq[ue] propullulantibus malis §. XIV. XV. XX. prolata conferri possunt. Id tantum hic adjicimus, quod de omnibus simul potulentis spirituosis dictum sit, ne illa unquam tam copiose ingerantur, ut ex illis potentes inebriantur, siquidem in ebrietate humores & per hos vasā nimis expanduntur, ut facile inde, si plethora adfuerit vasculum aliquod rumpi & hæmorrhagiae, aut si in vasis lymphaticis ruptio, vel extensio nimia contigerit, hydropis variæ species, vel cachexiæ saltim producantur.

## §. XXXI.

Potus aquæ ex stagnis paludosis & putridis desumptæ iisdem producendis morbis ex eadem fere ratione aptissimus existit, qui per exhalationes ex ejusmodi stagnantibus

C 3

aquis

aquis exspiratas excluduntur , hinc iterum Lectorem ben. ad superius allata in §. XXII. seqq. remittere liceat. Illud hic monendum videtur, ut ejusmodi aquæ putridæ usus, si alia haberi possit, evitetur; Si vero rerum necessitas eam adhibere postulat, decoquendo, si circumstantiae permitunt, salubrior & magis innocens reddatur. Fieri hoc etiam potest instillando illi aliquot guttulas spiritus acidi vi- trioli, quo putredo illius tolletur & a conspurcationibus animalculorum atque insectorum seminiis purgabitur.

## §. XXXII.

De motu & quiete ita etiam de somno & vigiliis pro militum valetudine tuenda paucis adjicio, ut, quantum fieri potest, ex nulla parte committatur excessus. Morus scilicet corporis labore vires subiecti superans eas destruit & corpus hinc obeundis functionibus quibusvis ineptum reddit. Neque minus otio & quiete diurius, quam par est, protractis tonus partium corporisque robur destruitur: hoc vero non conservato se- & excretiones laeduntur, fomesque sic variorum adfectuum producitur. Vigiliis autem diuturnis itidem, uti laboris motusque excessu, virium consumptio inducitur, quæ, uti jam monatum est, vario respectu malum exercit effectum. Somno nimium indulgere, cum ad vitam otiosam referri possit, communia cum hac excludit vitia.

## §. XXXIII.

De virtuē in excretionibus morborum causis iisque evitandis in vita militari, variis locis superius jam egi. Addo hic: Si artificialibus quibusdam excretionibus, ut sanguinis missione, scarificationi, aut purgationibus certo tempore celebrandis adsueti sunt, temere has nunquam omit.

omittant, quia secus natura ad varias turbas & motus anno.  
malos morbificos excitari solet.

§. XXXIV.

Hoc loco etiam castitatis studium militibus, quam maxime commendandum est, quippe quod a multis in tanto numero, in vegetiore ætate constitutorum hominum negligi satis solet. Nisi pretium conscientiae illibatae hos ab obsequio libidinis detinere valeat, sciant atque perpendant saltim, vires tam animi, quam corporis venieris exercitio nimio maxime consumi, & si impuris illis exinde plerumque evenientibus morbis inficiantur, officio suo ineptos reddi. Si tum curationibus nimis acceleratis & incongruis imperitorum incident, quantum damni, nisi morti ipsi tradantur statim, sanitati inferri possit, hic enarrare & evincere pagella non permittit.

§. XXXV.

De animi pathematis medico hic dicendum parum restat. Quod quidem excessus illorum corpori satis noxius esse possit, prolixe probari posset facile, sed quomo<sup>d</sup> commotiones animi, ut conservetur sanitas, regimine rationis moderandæ sint, id aliis relinquitur. Quod si vero post iracundiam imminentes biliosi affectus se signis suis, strictura scilicet circa præcordia ibique angustia, rosione in ventriculo, lassitudine membrorum prodant; tunc statim diluentibus, antispasmodicis, absorbentibus aliisque demulcentibus & lenioribus medicamentis avertantur gravissima & periculosissima illa mala. Angue autem pejus, si tunc conatus vomendi adessent, vomitoria, aut draistica alia remedia fugiantur. Hisce enim effusæ bilis vis, primas vias irritans, magis exaltatur & quod illius propria

pria acrimonia arrodere non valuit, certo satis jam drafticum medicamentum efficiet, ut sic non raro ægri morti tradantur necesse sit.

## §. XXXVI.

Sed plura jam addere limites scripto huic positi non permittunt. Velaque igitur sunt contrahenda, licet multa prolixius pertractari variaque adhuc momenta allatis jungi potuissent huc spectantia. Te vero L. B. enixe rogo, ut omnia æqui bonique consulere velis, quæ per vires exiguae proferre licuit. Laus vero & gloria sit summo quod veneramur, Numini, pro auxilio mihi id non merenti præstito, omniaque, quod iterum iterumque ab illo rogo, mea conamina in sui gloriam proximique salutem cedere jubeat.

F I N I S.



He 157.8°

?


ULB Halle  
002 179 687

3



sb





12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**PRÆSERVATIONE  
MORBORUM  
MILITARIUM,**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicae,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.  
SORE PUBLICO ORDINARIO, etc.

FACULT. MEDICÆ SENIÖRE  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXLV. D. MART.  
*Publice ac placide Eruditorum ventilationi subjicit*

AUCTOR ET RESPONDENS  
**DANIEL DREISOVIUS,**  
STOLPENSIS POMERANUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.